



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

757. Quis sit Iudex competens in crimine simoniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Questio 756. An, & qualiter beneficium simoniace receptum sit restituendum, aut dimittendum?

Respondeo primò : Si in simoniaca receptione beneficii (& in genere in receptione rei spiritualis) commissa non est quoque iniustitia, jure divino aut naturali non est restituendum beneficium, vel res alia spiritualis permanens : eadem ratione, quâ dictum de pretio; quia ad validam translationem rerum spiritualium in alium jure naturali, ac divino requiritur solum in dante potestas, & voluntas, seu intentio transferendi, & in accipiente capacitas acquirendi; quod autem fuit datum pro pretio, vel sine illo, non obstat validitati actûs. Pirh. loc. cit. n. 185. Laym. loc. cit. n. 85. Sed neque in hoc casu, dum iniustitia commissa non est (uti eam non committi in resignatione beneficii, dictum est *quasi, preced.*) jure Ecclesiastico ante Judicis sententiam restitui debere rem spirituales receptam, adeoque dimitti non debere beneficium per simoniacam resignationem obtentum, docere videntur ijdem *ll. cit.*

2. Si verò commissa simul iniustitia, puta per collationem, præsentationem, electionem, & c. simoniacam, restituendum, seu dimittendum beneficium, etiam ante sententiam Judicis, etsi res alia spirituales in hoc casu adhuc non sint restituenda ante dictam sententiam, tradit Pirh. loc. cit. Verùm de hoc satis fuscè supra, ubi de privatione beneficiorum ob simoniam.

Questio 757. Quis sit Index competens in crimine simonia?

Respondeo : Judex secularis non potest de hoc crimine cognoscere, sed solus Ecclesiasticus, etiam si reus sit Laicus. Pirh. ad rit. de simon. n. 142. citans Gl. communiter receptam in c. cum sit. de foro compet. n. malefactores. Clarus l. 5. Sent. receptar. §. simonia. n. 7. Simonia enim versatur circa objectum, & res spirituales, & Laicus causas spirituales tractare nequit, juxta c. 2. de judiciis. Porro qualiter probeatur simonia commissa in beneficalibus, fuscè satis dictum, ubi de privatione ob simoniam.

PARAGRAPHVS XII.

De publicanda Resignatione.

Questio 758. Qualiter, seu unde introducta publicatio resignationum?

Respondeo : Introducta est ea primitus vi Regularum Cancellariæ super hac publicatione necessariò faciendâ, edi ceptarum à tempore Sixti IV. (ante ejus enim tempora nulla desuper existit Cancellariæ Regula. Paris. de resign. l. 11. in præfat. n. 2. ex Sarnens.) ac deinceps renovatarum, adjectis, vel demptis, aut immutatis hinc inde aliquibus per subsequentes Pontifices, utque ad Pium V. inclusivè. Paris. loc. cit. n. 1. cujus Regula, prout edita ab Innoc. VIII. & Paulo V. tenorem vide apud Chok. ad reg. 36. Cancell. & Azor p. 2. l. 7. c. 24. q. 1. & Paris. cit. n. 2. Dein Pius V. non contentus hæc Regulis, hac super re editis tam à

Prædecessoribus suis, quàm à seipso, edidit desuper Constitutionem, quæ incipit : *Sanctissimus*, & est in Bullario 182. hujus Pontificis, cujus tenorem vide quoque apud Azor. & Paris. *ll. cit.* quæ Constitutione sua derogavit in totum, vel magna ex parte aliis Regulis suorum Prædecessorum, super publicatione hac emanatis. Paris. loc. cit. n. 4. Denique hac super re emanavit Constitutio Gregor. XIII. de Data 1583. nonis Jan. quæ incipit : *Humano vix* : & inter Constitutiones hujus Pontificis est 87. cujus tenorem vide apud Paris. loc. cit. n. 5. ubi etiam, quòd ea confecta maximâ cum deliberatione, & ex ordinatione ejusdem Gregorii examinata in plena Rota, per quam Constitutionem derogatam non solum regulis Cancellariæ de publicatione, sed etiam ipsi Constitutioni Pii V. super eadem publicatione editæ, Paris. loc. cit. n. 6. Azor. cit. q. 1. facta etiam in ea expressa mentio tam Regulæ Cancellariæ, quàm Constitutionis Piana. loc. cit. nu. 9. Quin & in totum abrogata eadem Pii Constitutio. Paris. n. 17. (faciens n. 14. hanc inter derogare, & abrogare differentiam, quòd abrogare legem, sit in totum eam abolere; derogare verò, partem ejus tollere) Ventrigl. To. 2. annot. 4. §. 2. n. 87. cum Marefchot. *variar. resol. l. 1. c. 51. per tot.* id latè probante. Ita ut propterea à tempore Gregorii XIII. Regula de publicandis inserta amplius non inveniatur Regulis Cancellariæ. Chok. ad dictam Reg. nu. 12. Quantum verò intersit, seu quantum discrimen sit, & in quo inter hanc Gregorii, & Pii Constitutiones, uti & eam Cancellariæ Regulam, vide apud eundem Chok. loc. cit. à n. 14. Porro dicta Constitutio Gregorii hodieum observatur à Curia Romana, estque in viridi observantia. Paris. loc. cit. n. 24. Chok. n. 13. Garc. p. II. c. 3. n. 273.

Questio 759. An ergo dicta Constitutio Gregorii ita sit in observantia, ut contra eam obtendi nequeat, quòd non fuerit publicata, & acceptata in partibus?

Respondeo affirmativè. Chok. cit. n. 13. Paris. l. 1. c. 9. n. 6. dicens, hanc esse vetiorem, & communiter ab omnibus receptam sententiam, etiam de stylo, secundum quam resolutum à Rota. 2. Maij, 1584. in Ippogeriens. Canoniar. esse locum huic Bullæ, & ubique, ac omnes afficere, ubique eam esse usu receptam; etsi Garc. loc. cit. n. 289. dicat in Hispania, vel saltem in Episcopatu Abulensi, in quo nunquam fuit promulgata, non videri usu receptam, quoad resignantes & permutantes coram Ordinariis. Quod ipsum tamen Castrop. & ipse Hispanus de benef. tr. 13. d. 6. p. 2. §. 6. n. 6. dicit, sibi durum videri, nec facile se id credere. In aliis verò Provinciis adeo receptam esse, restatur Chok. loc. cit. ut non servatâ illius formâ, resignationes & permutationes sive coram Papa, sive coram Ordinario factæ nullius sint roboris, beneficiæque uti reservata possint à Papa impetrari; quamvis & Pirh. ad rit. de renunci. n. 109. idem dicat de partibus nostris, hoc est, Germania, quod Garcias dicit de Episcopatu suo Abulensi.

2. Ratio responsionis est, quòd, ut lex liget extra Curiam, sufficiat esse Romæ publicatam. Paris. cit. q. 9. n. 8. & 10. citans Nav. *conf. l. n. 19. de constit.* restantem hanc esse communiozem. *Natam conf. 295. n. 5. Bursart. conf. 200. n. 104. vol. 2. & c.* Idque ad minimum attento stylo & consuetudine Curie